



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 91. Religionum dissidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.

post die literas quoque ad ipsum Imperatorem, ejus Conjugem, Colonitium, Lambergum, Grimaldum Cardinales, plures Præsules, & P. Ingelbertum Bischof Jesuitam Cæsaris Confessarium Pontifex dedit, exponens, quod suspiciones, quas Cæsaris Ministri contra Papam Cæsari ingesserint, solo veritatis & justitiæ lumine dispellere paratus sit: Ubi vero Pontifex *primarum precum* jus Cæsari, eoquod is nondum a Sede Apostolica confirmatus esset, in dubium vocare aggrediebatur, tum vero gravis utrinque exorta est altercatio, moxque aculeatis oppido libellis certatum, demonstratumque, minime necessariam esse prætensam hanc confirmationem, sine qua Imperatorum non pauci, priusquam Germaniæ concordata fuissent erecta, hoc jus absque ulla oppositione exercuissent &c. Demum vero controversia de Nationali Ecclesia hunc in modum composita est, ut deinceps Papa per Visitatorem Apostolicum reddituum rationem exigere quidem valeat, semper tamen eidem adjungatur Deputatus natione Germanus.

§. XCI.

*Religionum dissidia.*

Jam dudum Mennonitæ, qui se Calvinistas dicebant, in Palatinatu per

Gottfrid.  
Hist. cont.  
p. 634. l. 14.  
Ketteler Decad. 5. p. 293.

Y 2

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.

detortas pacis Westphalicæ interpretationes & Protestantium Principum manus sectam suam propagare nitentur quorum novationibus, & conflictibus & pressione querelis ac commentis Joannes Guilielmus Palatinus Elector strenuus quidem sese opposuit, Fridericus tamen Brandenburgicus Elector, ut veterum Catholicorum vexatione Palatinum concedendam Calvinistis libertatem adgeret, die tertia Januarii edito decreto Magdēburgensi Senatui injunxit, ut omnia hujus Ducatus monasteria, Ecclesias, Ecclesiasticos, Canonicatos, Scholas, redditus &c. exacte conferberet, ut postea Catholicis, uti in Palatinatu aliisque ditionibus Principum Catholicis subjectis contra Calvinistas statutum agebat, eorum bona & Tempora eripi ac imminui possent: Communitatibus Catholicis, qui in ejus ditionibus habitant, acerbasque de utroque Castellæ poenas sumpturum, nisi Riswicensem clausula deleteretur, & Protestantibus indemnitati in Palatinatu, Hungaria & Silesia per Conventum Ratisbonensem consulatur, insuperhabito privilegio Protestantibus adeo familiaris: *Cujus est Regio, ejus quoque religio, Dominus territorii est Dominus religionis, Jus Reformationis est sequenda*

ritorii &c. Jamjam Magdeburgi, & Hal-  
 berstadii exequendo Electoris decreto  
 initium datum est: cum ergo Catholici  
 præter duas Cathedralis, aliasque Col-  
 legiatis, insuper multas alias Ecclesias  
 & octodecim Monasteria ibidem possi-  
 derent, horum jacturam, ac inde in  
 irreparabilem calamitatum abyssum re-  
 ligionem Catholicam præcipitari, nec-  
 non maximum animarum, salutisque  
 damnum imminere veriti, omnium no-  
 mine Patrem Conradum Brüningshof-  
 sium Halberstadiensem Guardianum  
 Ord. S. Francisci Recollectorum Ratis-  
 bonam ad Imperii comitia ablegarunt,  
 qui etiam gravibus oppido verbis ac  
 sententiis exposuit, ad eum necessitatis  
 casum rem esse devolutam, ut ad præ-  
 vertendam Status publici ruinam nil  
 aptius esset, nisi ut inter dissidentes re-  
 ligiones juxta Westphalicæ pacis præ-  
 scriptum æqualitas, concordia & uni-  
 tas servaretur: si ergo Principes Ca-  
 tholici Protestantibus sibi subjectis hu-  
 jus pacis beneficium denegarent, &  
 Brandenburgicus Elector suum decretum  
 contra Catholicos executioni daturus  
 esset, absdubio Catholici Magdebur-  
 genses & Halberstadiani e patria in a-  
 marissimum exilium migrare coacti,  
 extremo conscientix, necnon animæ  
 corporisque periculo exponerentur, at-  
 que

Sæc. XVII.  
 A. C. 1705.

**Sæc. XVII.** que ex tota Saxonia religio Catholica  
**A. C. 1705.** extirparetur: Eapropter se Cæsaris,  
 aliorumque Principum Catholicorum  
 opem ad avertenda hæc mala implo-  
 rare, jussum esse dicebat. His expo-  
 sitis, atque ad acta relatis Guardia-  
 nus Viennam contendit, habitoque collo-  
 quio Cæsarem rogavit, ut ad tollenda  
 Calvinistarum gravamina Deputatos  
 Düffeldorpium mittere festinaret: an-  
 nuente igitur Cæsare Catholici Bran-  
 debürgico supplicarunt, ut interim de-  
 creti sui executionem differret, quo  
 facto Elector Diestum & Burhardum  
 ad præfatam urbem ablegavit, Catho-  
 licum Clerum sollicitans, ut hoc nego-  
 tium apud Electorem Palatinum, ce-  
 terosque Principes Catholicos urgere  
 haud cunctarentur: Tandem vero mu-  
 tuo utriusque partis consensu ibidem  
 conventum, ut *Simultaneum*, ut vocant  
 exercitium, in locis, ubi id sub Ele-  
 ctoribus Palatinis sectæ addictis nun-  
 quam viguit, penitus tollatur, Eccle-  
 siarum redditus inter Catholicos & Cal-  
 vinistas dividantur, indultaque sectæ  
 libertate circa matrimonia inter Catho-  
 licos & Calvinistas inita, & circa fi-  
 liorum inde susceptorum educationem  
 ac tutelam articulus die vigesima prima  
 Novembris stabilitus observetur. Hanc  
 vero transactionem nonnisi necessitas, &

& gravioris mali metus excusare pote- Sæc. XVII.  
 rat; nam Palatinus Elector Protestan- A. C. 1705.  
 tibus nonnisi aliena & injuste in vasa  
 eripuit, Magdeburgenses autem &  
 Halberstadienses Catholici iis, quæ sua,  
 non aliena possidebant, spoliabantur;  
 favebat insuper Palatino jus Reforma-  
 tionis ratione territorii & superioritatis  
 sibi ex communi lege, Imperii recessi-  
 bus, & contractibus, & pacis West-  
 phalicæ Artikulo V. §. 12. v. *Quantum*  
 competens. Hæc tamen jura, Prote-  
 stantes duntaxat sibi, non autem Ca-  
 tholicis favere volunt, quocirca etiam  
 Papa non modo Lambergium Cardina-  
 lem, & Jaurinensem Episcopum sed e-  
 tiam Electorem Palatinum suis literis,  
 ut Brandenburgico decreto obsisterent  
 excitabat, hæc ad eum perscribens:  
 „Innotuisse arbitramur, ac molestum  
 „accidisse Nobilitati Tuæ Decretum  
 „Marchionis Brandenburgensis, quo pa-  
 „lam professus est, velle se vicem red-  
 „dere Principibus Catholicis pro gra-  
 „vaminibus per eos, ut asserit, illatis  
 „professoribus illius sectæ, cui temere  
 „nomen Evangelicæ tribuitur, ipseque  
 „Marchio in primis adhæret, atque  
 „opitulatur, ac propterea se pariformi-  
 „ter acturum cum Catholicis, præfer-  
 „tim iis, qui sunt ex utroque Clero in  
 „Ducatu Magdeburgensi, ac Principatu  
 „Hal-

Sæc. XVII.

A. C. 1705

„Halberstadiensi, nisi in Conventu Ra-  
 „tisbonensi, ubi res in deliberatione  
 „versatur, eorundem Sectariorum in-  
 „demnitati consulatur. Quanta ini-  
 „quitate prolatae sint hujusmodi mi-  
 „næ adversus innoxios: quanta e-  
 „tiam audacia erga Catholicos Princi-  
 „pes, per se satis liquet. Cogimur  
 „proinde Te, quem Zelo pro Ortho-  
 „doxa religione fervere novimus, &  
 „cujus etiam honor ea in re agitur,  
 „hortari, ut Catholicorum tutelam stren-  
 „nue suscipias, eorumque causam for-  
 „titer asseras, neque pari eos lance  
 „cum Hæreticis pensari patiaris. Quod  
 „Deo acceptum, Nobisque perjucun-  
 „dum erit, qui optamus Te semper  
 „magis bene mereri de Ecclesia Dei.

## §. XCII.

*Principum atque Illustrium obitus**Kettl. Decad.*

5. p. 316.

*Theatr. Edu-**rop. t. 17.**pag. 181.*

**M**ense Octobri vix inchoato Augustus  
 Fridericus Holsato - Gottorpiensis  
 Lubecensis Pseudo-Episcopus  
 concessit; mox igitur Christianus  
 Augustus ejusdem familiæ Princeps  
 armata manu hunc Episcopatum, nec  
 non Cuthinensem arcem Episcopalem  
 invalit, eoquod non modo in Coadju-  
 torem jam antea electus fuisset, sed et  
 tiam inter Domum Gottorpiensem &  
 Cap-